

Dissertatio botanico-medica de tertianaria herba ... / [Karl Friedrich Eichrodt].

Contributors

Eichrodt, Karl Friedrich.
Universität Basel.

Publication/Creation

[Basileae] : Typis, Joh. Henrici Deckeri, [1737]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bvb5tt7f>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

341335 36.
84977
7

DISSERTATIO BOTANICO - MEDICA
DE
**TERTIANARIA
HERBA**

Quam
*JUSSU GRATIOSISSIMI COL-
LEGII MEDICI*

IN
PERANTIQUA AC ILLUSTRACADEMIA
BASILEENSI

Pro
Summis in arte Medica honoribus & Privilegiis Docto-
ralibus rite consequendis publice defendet

**CAROLUS FRIDERICUS
EICHRODT,**
DURLACENSIS.

Ad Diem 21. Jun. M. DCC XXXVII.

In Audit. Med. æstivo.

h. c.



Typis JOH. HENRICI DECKERI, Acad. Typogr.



SERENISSIMO ac CELSISSIMO S. R. ꝑ.

PRINCIPI

CAROLO
MARCHIONI,

BADENSI & HACHBERGENSI, LANDGRAVIO
SAUSENBERGENSI COMITI IN SPONHEIM
& EBERSTEIN

DYNASTÆ IN ROETELN BADENWEILER LAHR
ATQUE MAHLBERG & RELIQ.

SACRÆ CÆSAREÆ atque REGIÆ
CATHOLICÆ MAJESTATIS

NEC NON CELSISSIMI CIRCULI SUEVICI MARE-
SCHALLO CAMPI, ATQUE REI BELLICÆ, UT ET
LEGIONIS SUEVICÆ PEDESTRI PRÆTORI

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Hæc Studii sui Medici primitias grata submissaque mente
& Veneratione ob multa beneficia,
d. d. d.

SERENITATIS VESTRÆ

*Devotissimus atque humillimus
Cliens & Servus.*

CAROLUS FRIDERICUS EICHRODT,
DURLACENSIS.

V I R O
GENEROSISSIMO *ac* NOBILISSIMO
DOMINO DOMINO
DE PEJERN ,
NOBILI SUBMISSISSIME VENERANDO,
REIPUBLICÆ SCAPHUSANÆ CENTURIONI
STRENUO & MERITISSIMO ,
REI HERBARIÆ STUDIOSSISSIMO, & RERUM ANTIQUARUM,
PRÆCIPUE REI NUMMARIE UT EXPERTISSIMO ITA
& CALLENTISSIMO
PATRONO SUO & EVERGETI SUBMISSIMA
DEVOTIONE AD DIES VITÆ VENERANDO,

Hæc primitias Medicas d. d. d. humilima & Venerabunda mente offert.

CAROLUS FRIDERICUS EICHRODT ,
Auctor.



Q. D. B. V.

PRÆLOQUIUM.

Speciminis inauguralis materiam electurus, præ aliis tandem de medicaminis cujusdam, & quidem è vegetabilium genere petiti viribus agere constitui; Quod quidem domestica est planta ubique in humidis locis obvia, & tantum non spreta & neglecta, sed tamen ratione virium nobilissima, & licet Indiam, Græciam, Ægyptum aut Barbariam pro patria non habeat, tamen, ut opinor, pari, imo majori virtute gaudet, quam alia ab extero orbe petita. Multa enim atque egregia noster naturæ thesaurus profert remedia, quæ in hunc usque diem in ignorantiae abyfso quasi demersa fuerunt, quæ tamen, si de iis extractior institueretur exploratio, corpori humano longe maximum afferre possent emolumentum. Cum itaque tantus cumulus rerum in & sub terra latitantium existat neglectarum, quæ in usum medicum optime possent pertrahi, ideoque & mihi placuit pro viribus examinandam & ventilandam, Deo auspice, sumere plantam patriam, quæ nostris in terris ubivis crescere solet, quæque hodie in officinis plane incognita, & hactenus tanquam officinalis, in usum non vocata est, cujus nomen Tertianaria est, de cujus origine, crescendi modo, viribus atque usu verba sum facturus. Deus autem Ter Optimus Maximus, qui unicus fons est & scaturigo omnium rerum, ut divina sua gratia proposito meo adspirare velit, est quod humillimis precibus rogo.

§. I.

DE Tertianaria itaque acturus, antequam rem ipsam pertractandam aggrediar, materiamque hanc in theatrum disputatorium producam, omnino necessarium est, ut incitium dicendi a nominis explicatione faciam. Tertianaria itaque a Virtute sua, quam possidet, specifica & generali antifebrili ita dicta est, cum febrim 3^{tio} die recurrentem sæpissime profliget, atque è corpore penitus extirpet, ob quam egregiam suam energiam etiam germanis audire solet *Das Fieber-Kraut*.

§. II.

Apud Botanicos quidem quam plurima alia nomina fortita est, Tertianaria; Superiori enim ætate a Caspar. Bauhin. in suo *Pinace Theatri Botanici* lib. 7. sect. 1. pag. 246. nuncupatam illam legimus *Lysimachiam coeruleam galericulatam*, vel *gratiolam coeruleam*, quem sequuti sunt Joh. Parkinson. *Lobel. Icon.* 344. & Johann Bauhin. *histor. plantar.* Tom. 3. l. 30. pag. 431. Ab Andrea vero Cæsalpino de *plant. Libr. xvi.* *Gratiam Dei* appellari putat C. Bauhinus, quem plures alii Botanici sequuti sunt; at Tournefortius in *Histor. plantar.* circa *Lutetias Parisiorum* nascentium p. m. 186. censet, illam Cæsalpini *Gratiam Dei* ad *Gratiolam Centauroidem C.B.* pertinere, non ad *Cassidam* s. *Tertianar. nostram*, & potius videri Cæsalpinum *Cassidæ* cujus species est nostra *Planta commemoratam* spèciem delineasse sub nomine *Gratiæ Dei* alterius, quam inverso ordine Casp. Bauhinus *Synonymam* fecit, *Gratiolæ Centauroidis*. Joh. Thallio *Med. Nordhusano* *Sideritis coerulea* audit. Robertus Morison *Histor. Plantar.* autem illam appellavit *Scutellariam repentem palustrem coeruleam*, forsan a forma capsulæ seminalis *scutellam* exprimente, & quod ad ripas ut plurimum crescat, virgulisque sibi obviis adhæreat, ex qua ratione quoque Hermanno in *Catal. Horti Academici Lugdun. Batavor.* *Scutellaria aquatica* vocata est, etiamsi in aquis ipsis non nascatur, sed in aquosis & palustribus locis.

Domini-

Dominico Chabræo in sua Sciagraphia pag. 475. audit Terzolla, Tabernæmontano vero simpliciter dicitur Tertianaria, quam denominationem hic loci etiam sequutus sum, ita ut veritus non fuerim Tertianariæ Titulum dissertationi istî meæ præfigere.

§. III.

Ab omnibus vero hisce denominationibus Joseph. Pitt. Tournefortius, Botanicorum sui temporis princeps, qui inter primos plantas ad certa sua genera summo studio reduxit, plane decessit, annumerando Tertianariam visui characteris genuini Cassidarum familiæ, & quidem eam ob rationem, quoniam florem & capsulam seminalem Cassidæ exacte similem habeat, quod nomen Fabius Columna in Ecphrasi minus cognitar. Stirpium, Part. 1. 147. primus imposuit cuidam plantæ a singulari & privato fructu sive Pericarpîi forma in aliis nondum visa, militaris galeæ iconem exprimenti, cujus plantæ Synonyma sunt Lamium peregrinum sive scutellaria. C. B. P. 231. Scutellaria Teucrii facie J. B. 3. 291. Lamium Astragaloides Cornuti. 129. cui & suam etiam fidem adjunxit Lugdun. Batav. Sidus fulgentissimum Hermannus Boerhave in suo Indice Plant. quæ in horto ibidem Academico aluntur, uti videre est pag. 177.

§. IV.

Secundum Tournefortium Cassida Plantæ genus est, flore monopetalo labiato, cujus labium superius galeam cum duabus auriculis refert, inferius vero bifidum est plerumque, exque calice, cujus superior pars cristata est, surgit pistillum posticæ floris parti ad instar clavi infixum, ac quatuor veluti embroyonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina ablonga, in capsula quæ floris calix fuit, recondita, capsulâ scilicet caput galea munitum non male representante, pars enim superior cristam, inferior vero aliam partem galeæ, qua maxilla inferior fovetur, exhibere videntur. Data descriptione generis, hæc ipsa spe-

species *Cassidæ*, de qua mihi in hac dissertatiuncula sermo est, delineanda venit.

§. V.

Hæc quidem haud inelegans est, & sponte undique provenit, folia ejus sunt oblonga, ad extremum acuminata, atrovirentia, utrinque lateribus caulium quadrangularem ac rigidiusculorum adhærentia, per oras aliquantisper crenata vel ferrata. Flores quos habet, qui ex eorum alis proveniunt, monopetali sunt, & tubulati, dilute cœrulei & punctati ac galeati, simulque auriculati & labiati & furculis numero ut plurimum gemino insidentes, quibus cadentibus, capsulæ succedunt operculatæ, seminibus oblongis refertæ, coloris rufescentis. Radix quæ sub terra repit, fibris exiguis albicantibus dotata est, de cetero nullius est odoris, nisi, quod, si ejus folia fricentur, fere talem, qualem scordium habet, exspirare solent fragrantiam. Nascitur & germinat luxuriose in marginibus aquarum, in dumetis, aliisque locis umbrosis humidis, floret a medio Junii per totam æstatem, simulque perennis, nec per frigoris injurias perit. De nomine hujus *Cassidæ* speciei vid. supra §. II.

§. VI.

Ex hac nunc data atque rite pensitata descriptione totius Plantæ satis superque constat, eam Plantam esse & secundum ipsius formæ elegantiam, atque partium constitutarum texturam, non ad ima subsellia locandam, neque, cum simul amara sit, contemnendam, etiamsi in officinis hodie eam nondum introductam vidimus, sed potius a Medicis ad plantas minus usuales referri soleat; tamen si a Medico suæ artis perito ut par esset rite exhiberetur, majorem ex ea perciperet effectum quam ex aliis aliunde coëmptis.

§. VII.

Supra in Præloquio a me dictum est, quod multa adhuc abstrusa sint, quæ ad debellandos morbos, si legitime exa-

examinarentur, quam maximam præstitura essent efficaciam, quæ vero, ex desidia Medicorum, occulta maneant, dum plurimorum nostra ætate medicinam facientium perversum illud iudicium est, quod non necessum sit in dignoscendis simplicibus medicamentis novis, major ut adhibeatur cura, cum remediis hætenus inventis acquiescere possimus. Supervacaneum itaque opus esse existimant, atque nullius usus, si quis hodie doctrinæ botanicæ amplius adhæreat. At quale detrimentum medicina capiat ab hac perversa mentis conceptione, cuilibet notum est practico genuino.

§. VIII.

Ne autem ambagibus uti videar supervacaneis, in viam iterum redeo, unde digressus sum, examinaturus Tertianariæ virtutes medicas, quæ certe paucæ non sunt, & a Medico partim sensuum ope, olfactu, gustu, partim vero analysi pharmaceutico-chymica, maxime vero ex effectibus, quos in corpore humano edunt, cognosci possunt. Ex quibus omnibus dijudicandum venit, cujusnam sit naturæ, naribus enim admota si teratur, extemplo odorem spirat alliaceum & comprobat, particulas in se habere tenues, salino-oleosas volatiles, quæ particulæ vim habent excalefactoriam, qua de re in meatus omnes viscerum obstructos vi magna penetrant, eosque ab infarctu ibidem hærente humorum viscidorum liberant, sanguinisque impuritates simul præcipitant, corrigunt atque per modum secretionis eliminant; sapor amarus vim itidem attenuantem deterforiam, putredini resistentem arguit.

§. IX.

Accuratius vero hujus Plantæ principia constitutiva nobis proponit & resolutio Pharmaceutica & chymica. Pharmaceutica exploratio. Imo loco sistit pulverem colore virente imbutum, saporis amaricantis, qui ob suam amaritiam vim stomachicam promittit, roborantem & anorexiam tollentem, qui dari potest vel per se vel aliis mixtis in juscule aut alio liquore 2°. Ex foliorum recenter collectorum parumper contusorum succo

expresso, atque saccharo incocto syrupus conficiendus est, amarus puniceo coloris, itidem ventriculi malis frigidis adhibendus, ut & a febrium miasmate labefactato corpori quam maxime conducibilis, qui solus cochleatim sumendus, vel aliis admiscendus est, eundem effectum præstare quoque poterit, si ex ea paretur Conserva, imprimis autem basis loco inservire potest electuariis febrifugis atque stomachicis.

§. X.

3°. Essentia etiam extrahitur elegantissima, si foliis parumper siccatis superfundatur portio iusta spiritus Vini rectificati tartarifati, brevi tempore sic exurgit color smaragdinus, iterum tamen, præterlapsis aliquot hebdomadibus evanescens. Hæc essentia usum egregium spondet in omnibus hætenus commemoratis affectibus, in quibus curandis planta ipsa se commendat.

§. XI.

4°. Optimum autem medicamentum quod analysi pharmaceutica exurgit e Tertianaria extractum est, in quo Plantæ totius vires concentratæ sunt, coloris nigricantis atque saporis amaricantissimi, quod levi Enchèresi parandum, si succus ab omnibus impuritatibus mundatus ad mellis spissioris consistentiam inspissetur ac denuo ~vini simpl. affusione solvatur atque evaporetur, quousque acquirat Extracti formam. Hoc Extractum ad varios usus impendi potest, extemporanea conficienda ex eo est Essentia antipyretica visceralis, atque stomachica, addendo nimirum spiritum cochleariæ, alias ingreditur pilulas stomachales febrifugas, aut miscetur electuariis ad similes affectus conducibilibus.

§. XII.

Ne vero omisisse aliquid videar per præcipitationem 5°. ulterior inquisitio instituta est, qui labor quidem magis curiosus quam utilis erat, quâ pulvis factus fuit pallido-virens subtilissimus impalpabilis fere, qui vero cum vix habeat perceptibilem saporem neque odorem, an usum quen-

quendam egregium habere posset, maxime dubitavi.

§. XIII.

Perrexī in indagandis partibus componentibus hujus Plantæ, in qua exploratione aqua destillata primo referenda est, quæ ex tota planta cucurbita vitrea cum ∇ a simplici prolecta odorem habet herbaceum, saporem vero vix subamaricantem, quia omnia fere amara per destillationem parata amaritudinem amittunt. Hæc ∇ a simplex ita destillata etiamsi non amara sit, interim tamen de particulis salinis & activis multum participat, unde commode in omnibus affectibus frigidis stomachi justo tempore propinata similiter & ad obstructions & putredinem arcendas egregiam præstare potest opem, commodius autem vehiculi loco in propinandis pulveribus febrifugis adhiberi posset. Herba vero cum vino destillata, eundem usum ac essentia supra laudata obtinere potest.

§. XIV.

Post ∇ am hanc destillatam simplicem vulgari more prolectam, alterum, quod feci Experimentum, erat fermentatio, quâ inquirere volui an quoque per hanc elici possit spiritus, atque an in se habeat sal quoddam volatile, accepi itaque bonam quantitatem herbæ, quam contusam doliolo ad fermentandum immissam per aliquot hebdomadas in quiete collocavi, usque dum odorem subacidum spirantem animadverterim, quo facto, destillatione ex Vesica a me instituta, nil nisi liquor sulphureo-salinus prodiit, ejusdem saporis, ac si in eo parum dissolutum esset salis volatilis; quam salis volatilis & quidem alkalinae indolis præsentiam si odor allii atque hoc ipsum Experimentum modo recensitum non satis probarent; aliud Experimentum certe id penitus monstrare potest, quod alias in usum adhibetur, si indagare cupimus, quodnam salis genus in plantis prædominium habeat. Hæc nempe planta chartæ coeruleæ affricata, eam parum admodum colore rubro tingit, prout id facere solent Scordium & aliæ quædam plantæ febrifugæ & aperientes; documen-

to egregio, parum acidi ei inesse, quod acidum alias coeruleum illum succum Ricinoidis, qui Tournesol Gallorum suppeditat, in colorem rubrum transmutat. Materiam remanentem in Vesica, ex retorta, luto munita ignis ope aperti, pepuli, sub cujus tortura productum erat empireumaticum, forma liquoris oleosi summe foetidi.

§. XV.

Nec & hisce contentus, ulteriorem feci inquisitionem in salis fixi præparatione; sumsi bonam quantitatem crematæ herbæ, ex eaque per affusionem aquæ simplicis lixivium more consueto paravi, quod postmodum filtratum ad justam consistentiam decoxi & in locum frigidum per aliquot dierum spatium, vasculum non movendo, posui, a qua repositione crystalli factæ sunt instar salis absinthii, paucæ quidem in quantitate, in qualitate vero elegantissimæ utilissimæque, easdem virtutes possidentes, quales absinthio, centauro, carduobenedicto &c. adscribuntur, uti Experimenta postea comprobarunt.

Et hæc sunt quæ tam sensibus, quam Chymicis atque Pharmaceuticis operationibus ex hac mea planta elicere potui, nunc etiam ordo postulat, ut de ipsius virtutibus specialioribus aliquid enarrem, iis quidem, quas experientia reiterata ei inesse docuit, cum ægrotantibus propinaretur. De quibus vero cum planta hætenus in officinis nondum introducta atque a paucissimis medicis hujus virium exploratio fuerit facta, agere, difficile fane videri posset institutum meum.

§. XVI.

Non diffitendum est antiquioribus quibusdam medicis vires hujus plantæ non adeo ignotas fuisse, at cum multa remedia a medicis prioris temporis sæpe laudata sint & deprædicata, de quibus incerti hæremus, an revera iis assignatas laudes mereantur, hinc denuo & quidem sedulo explorandum erat, quid rei subesset; nam Tertianariæ nomen ex vi curandi febres intermittentes, jam diu ipsi impositum esse video. Hanc ergo egregiam herbam Camerarius ad anginam pellendam commendat, cum aqua decoctam

coctam in modum gargarismatis. Joh. Bauhinus vero ex Tournero habet, ipsum hunc medicum contendere Plantam nostram a Tertianis curandis nomen suum mutuassee Hæc autem curandi Tertianas intermittentes febres efficacia revera insignis est, secure enim & radicitus extirpare solet dictas febres.

§. XVII.

Experimenta vero hæc & plures alias hujus plantæ virtutes sistentia cum Argentinæ studiis incumberem, summo cum successu fecit Vir Experientiss. D. D. Franciscus Balthasar Von Ginderen Practicus felicissimus, Fautor & hospes meus colendissimus, qui sola hac herba tertianas febres certissime profligavit, hunc in modum: primo patientis saburram è primis viis per pilulas mercuriales cum Mercurio vivo paratas repetitis vicibus repurgavit, quo facto, ut eo melius immunda febrilis illuvies corrigeretur, decoctum Tertianariæ cum aqua & vino factum cotidie mane & vesperi calide sumendum per totum morbi decursum commendavit, simulque etiam singulis diebus quadrantem horæ circiter ante prandium atque coenam Essentiam Tertianariæ, spiritus salis *ci fortiss. combinatione roboratam ad 40. gutt. deglutiendam patienti porrexit, in jusculo aut infuso quodam Theiformi. Hisce remediis spatio 14. dierum hostem aggressus est, sub diætâ tamen exactissima. Finito hoc termino pilularum supra memoratarum usum reiteravit, utque eo penitior fieret materiæ febrilis infractio, sequenti usus est formula

℞. Extract. tertianar. ℥ β
Croc. ꝑtis. ꝑiat. Stahl. ʒij.
Sal absinth.
tart Ⓞlat. à ʒi
Ess. tertianar. q. s. ms. f.

massa ex qua formentur pilul. pisi majoris magnitudine succin. albo ppt. aut pulvere Liquir. conspergendæ. Hisce pilulis sub continuo jusculi usu modo memorati hostem

penitus absque recidivæ metu prostravit , ita ut æger viribus antea fractus brevi in integrum restitutus fuerit.

Ex hac nunc methodo , optimo cum judicio instituta, quivis hujus plantæ virtutem in febribus intermittentibus curandis , omni laude majorem perspiciet , ita ut sic clare pateat non frustraneum laborem esse si in domesticis facile parabilibus remediis explorandis sedulo quis navet operam.

§. XVIII.

Planta nostra porro variis modis ad diversos morbiferos affectus depellendos adhibetur , tam interno quam externo usu. Intus magno cum fructu cum jusculis recens cocta ad sanguinem depurandum , ut & ad viscerum obstructions qualescunque expediendas sumenda est , similiter quoque infusum ejus ex foliis cum aqua fervente paratum ac instar potus Thee calide ad craticulas aliquot mane & vesperti epotum , egregium usum habet , in dysorexia , cachexia , passione hypochondriaca , colica flatulenta aliisque morbis similibus.

§. XIX.

Bezoardicas quoque ut & anthelminthicas possidet virtutes ob suas enim salinovolatiles particulas atque amaras orgasmum sanguini inducit atque calorem , simulac etiam omnia venenosa inquinamenta ex corporis penetralibus balsamica sua vi ad peripheriam corporis protrudit & penitus expellit , propterque suam amaritiam & alliarem profapiam Vermes necat , Ictericis quoque , quibus transitus vel progressus bilis ad intestinum duodenum denegatur , singularem præstat usum , imprimis , si ejus pulvis subtilissime tritus misceatur cum pulvere lapillorum ex Vesica boum desumptorum & ter de die ex jusculo aut vino sumatur , quam virtutem comprobant & folia cum iisdem lapillis in vino infusa , quod vinum etiam postmodum excellens & fere specificum est , aut euporistum medicamentum in febribus intermittentibus præprimis tertianis.

§. XX.

Stomachicam quoque habet efficaciam , si Conser-

va exhibeatur ex foliis solum vel floribus viridibus incisis & in mortario lapideo aut vitreo cum sacchari æquali portione contusis & mixtis facta, quæ Conserva postmodum pro excipiente elegantissimo atque utilissimo omnium electuaria stomachicorum ut & febrifugorum inservire potest, observatum enim est, eos qui ea usi sunt ab anorexia, dysorexia, aepsia & dispepsia penitus fuisse liberatos, cruditates enim ventriculi, ut & humores viscidos acedentes incidit, atque fibrillas stomachales iterum corroborat, & sic appetitum excitat egregium; Boli quoque forma additis aliis specificis, commode propinanda est ad easdem molestias.

§. XXI.

Essentia Tertianariæ & quidem probe saturata, excellit quoque vel per se guttulatim sumpta, vel aliis convenienter mixta pro indicationum modulo in variis ventriculo & abdominis affectibus, ut in stomachi dolore, spasmodico acerbissimo, vulgo in dem Magen-Krampf.

§. XXII.

Varie quoque Tertianaria in usum externum trahitur, & sic quoque inter remedia externa non infimum occupat locum, vim enim egregiam possidet stomachicam & anthelminticam, simulque etiam paregoricam, & si dicendum quod res est, remedium hisce in affectibus nulli est secundum, in Vino enim cocta, & cataplasmatibus loco abdomini atque ventriculo calide imposita, stomachum confortat, & vermes præcipue puerorum quam maxime fugat, similiter in doloribus colicis eundem effectum præstat, dum in momento quasi cruciatus sistuntur, ut æger munere suo pristino statim iterum fungi possit.

§. XXIII.

In ulceribus putridis aliisque vulneribus mali moris, vi sua balsamica ejus decoctum quoque est proficuum, si eo ulcera vel vulnera sæpiissime laventur, putredinem enim, etiam gangrænam minitantem aufert, facitque ut eo melius & citius citra magnam suppurationem se conglutinare possint

possint, cujus salutaris effectus & vulgo notus est. Idem etiam præstat ejus succus, expressus, si cum melle mistus auribus instilletur dolentibus, otalgia medetur citissime, imprimis a vermibus ortæ.

§. XXIII.

Possit & oleum per infusionem paratum hic adduci, quod extus inunctum doloribus addominis utile est atque frigidis ventriculi morbis confert, ad vomitum compescendum, cardialgiam sistendam, in specie autem ad tollendas hepatis, lienis obstructions, egregias exerit vires, lumbricos quoque necat extus illitum vel clysteribus applicatum, veneno omni resistit, idque per sudorem expellit, si imisceatur sevo cervino, saponi Veneto & oleo piperis, tum exurgit unguentum maximi usus in febribus summe proficuum si spina dorsi eo perfricetur.

XXV.

Et hæc de Tertianaria dicta sufficiant pro dissertatione inaugurali, quamvis materiæ hujus dignitas major sit, quam quæ tam arctis dissertationis terminis includi queat, interim tamen ex his paucis, quæ hic prolata sunt, non difficile erit judicatu, quod simplicia imo etiam vilissima domi nata, majorem multis exoticis etiam si pretiosis ac aliunde advectis, præstent usum; acquiesco itaque hac in re, aliaque circa hanc plantam occurrentia aliis ulterius disquirenda relinquo. Deo vero Triuni Archiatro summo, summæ dicantur laudes quod studia hætenus mea dirrigere voluerit. Ille porro conatus meos pro sua Clementia in posterum secundet ut ii omnes in sui nominis gloriam ægrorumque magnum emolumentum felicem habeant successum.

F I N I S.